

Günderode, Heinrich von

Henrici a Gunterrodt, De Veris Principiis Artis Dimicatoriae, Tractatus  
breuis Ad Jllvstrissimvm Principem Ioannem Ducem Megapolensem

VVitebergae 1579

4 Diss. 136#Beibd.32

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10814670-0

VD16 G 3915

420  
Henrici à Gunterrodt, ~~XVIII~~

DE VERIS  
PRINCIPIIIS <sup>32.</sup>  
ARTIS DIMI.  
CATORIAE,

Tractatus brevis,

AD FLLVSTRISSIMVM  
PRINCIPEM IOANNEM  
Ducem Megapolensem.



FVITE BERGE

Excudebat Matthaus UUelack.

---

Anno M. D. LXXIX.

EPIGRAMMA

JOHANNI S  
MAIORIS D.



Orporis in motu mentis se suscitat ar-  
dor:

Corpore non moto mens sua preffa  
situ est.

Ergo fatigabant variis membra incita luctis:

Segnia perpetuus corpora languor habet.

Sic color in vulnu, calor est in corde tuendu:

Regulaq; in gestu curaq; habenda gradus.

Namq; decus præ se ferre omnia membra necesse

Nam violat gestus lumina casta procax. (est:

Instructit ad bellii morem ars ludicra seuerum,

Atq; tegi obiecto corpus ab hoste docet.

Quare qui luctæ rationes tradis honestæ,

Corporis & vires, ingenuiq; probas.

AKKA C. M. 800A

ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI A C D O  
MINO, DOMINO IOANNI,  
DVCI MEGAPOLENSI, PRINCIPI  
vetustæ gentis Henetæ, Comiti Suerinensi, Do-  
mino Rostochij & Stargardiæ Domino  
suo clementissimo,

S. P. D.



I R V M F O R T A S S E V I-  
deri poterat Illustrissime Prin-  
ceps, quod hoc tempore au-  
sus sim Celsitudinem tuam  
compellare, in tam tenui præ-  
sertim argumento: Sed facile,  
ut spero, apud Celsitudinem  
uam excusabor, & ab omni sinistræ suspicionis  
nota apud candidos lectors liberabor, quod in  
Excelsitatis tuæ nomen hanc meam scriptionem,  
in qua leuiter defunctus sum, apparere voluerim,  
si intelligent me huius negotij Patronum delegisse  
herōem eum, qui in exercitatione luctæ, siue arte  
dimicandi egregiam habeat cognitionem ac

A . 2

vsum

vsum, hoc est, exercitatione præditus sit. Quapropter, id quod decorum est obseruasse me existimandus potius, quam in temeritatis crimen vocandus sum: tantum abest ut obtrectationem hac in parte metuam, cum apud intelligentem artis, de arte tractationem susceperim, cuius nimirum autoritas meum conatum ab iniquorum sermonibus vindicare possit. Verum ut omnibus partibus ac numeris absolutam rationem artis huius traderem, in hac tractatione mihi propositum non fuit, sed commemorationem saltem, ac summa capita quædam de veris eius fundamentis strixim exhibeo, Neque enim omnes regulas, quibus solida eius cognitio nititur, in medium afferre mihi integrum fuit, ne aut palmarum præcipere ei, qui me ad eam disciplinam erudit, aut laudem cognitionis, qua discipulo antecellit Magister, detrahere existimarer, in quem modum & Alciatus lib: de singulati certamine, Cap. 3 i. grauiter differit. Interea hoc saltem consilio hæc artis semina in luce exire volui, ut alios ad uberiorum frugem consequendam excitarem, qui, si certiorem Theoriam vel artis huius probatoria initia haberent, propter utilitatem publicam ea etiam in medium proferrent, quo & ab interitu liberari & à contemptu imperitorum

imperitorum vindicari hæc ingenua ac ingenuis  
hominibus digna ars queat. Has autem com-  
mentationes Excelsitas tua beneuolè accipiet, si  
ad studium submissum meum erga sc̄ potius,  
quàm ad splendorem earum respexerit: Sunt enim  
si ex pondere suo censeantur tenuiores, quàm vt  
tanti principis arbitrio satisfacere possint: si ex ar-  
tis dignitate spectentur, tanto nō inindeco-  
res: si ex studio meo, probandæ etiam erunt. Ve-  
runtamen si hæc rudimenta, tanquam gradus pri-  
mos artis luctatoriæ à me iactos, benignè comple-  
ctetur excelsitas tua, fieri potest, vt & de voluntate  
Magistri in hac arte mei, & ex industria mea per-  
fectum, magisque solidum opus extruam, & fasti-  
gium illi imponam summum. Benè & feliciter  
vale. Datae VViteberge ex Musæo, eo ipso die,  
quo ante annos 1579. Filius Dei natus est, & as-  
sumtione naturæ humanæ restituit nos Deo patri,  
& perpetua gestatione ac sustentatione eiusdem  
confirmat, nos sibi perpetuæ curæ esse.

T. Excels.

Submissus

Henricus à Gunterrodt.

AD ILLVSTRISS:  
PRINCIPEM IOHANNEM  
DVCEM MEGAPOLENSEM  
commendatio palæstræ Nobil: à  
GYNTERRODT.



Obilibus sua fama Viris à stirpe, sed illam  
Artibus vt geminant, stirpis decora omnia  
vincunt

Dum quod origo refert Claros manus emula in  
Euocat, & sua facta nouis virtutibus effert (ausus  
Gentis ad exortus, decus immortale per ipsas  
Fert operas, claroq; operas exæquat Olympo

His tua se ostendit noua gloria, vt explicat armos  
In pugnam, fortisq; rotat celerante lacertos  
Congressu, supraq; humerosque caputque coruscum  
Emicat in gladium, atq; agilem quatit ardua pinum.  
Vnde per insignes HEN RICE potentibus artes  
Et stirpis decorisque tui virtutibus effers  
Nomen ab exorsis, quod stirpe decoreque gestas.

Huic Musæ date vota piæ, date maxima honorum  
Præmia, nam Clarijs floret dominator in armis.  
Prima iuuenta genas cingit, sed robora cingunt  
Brachia, & ad celeres impellunt omnia motus.

Seu pugnare decet framea, seu peclus in hostem  
Ferre

Ferre recens, motisq; ad prælia ludere signis  
Fert grauis in sublime gradum, & spe præcipit iustum.  
Ut iuuat insultus iterare, sed acriter omnes  
Excipit insultus, & vulnere clarus adacto  
Perstat, in aduersum quando fuit ire, frementemq;  
Ira odijsq; simul vi præpete, & alite dextra.

Tale D E V S Musis decus addidit, atq; fauorem  
Hunc nobis concessit, ut inclytum ad arma paratum.  
Ingenium subeat, clarisq; per arma lacertis  
Floreat, & Musis solamen, ubi aspra fatigant  
Fata, locoq; mouere, armisque euincere certant.

Principibus data cura viris, data gloria Musis  
Hæc venit, & magna affectat tua nomina ad illos  
Exorsus: O I A N E nouis tua nomina cæptis  
Ingredere, atq; secundo operas pede magne disertas  
Prospèr adi virtute potens, animique præaltis  
Dotibus illustris, nomen præsignibus effers  
Indicijs sponte in famam, & decus arduum ituris,  
HENIADVM qui stirpe domus satus, atq; potentum  
Faxq; nitorque Ducum, genus & tua nomina comple  
Æternæ splendore domus, virtutibus, ausis.

Hæc propria est vestræ data stirpis imago, per ausus  
Quam dextræ referunt monumenta, per inclyta miscent  
Dum virtute manus sua brachia, & hasta lacertos  
Crebra subit ferienda, suis quò gloria ab armis  
Constet, & ad stirpem sua vis alludat auitam.

O Mundi

O Mundi decora, & propriæ virtutis in annos  
Exemplar memori quod Musa loquetur ab orsu  
Perpetuum in seros æui venientis honores.  
Ceu vos insignes ad sydera & æthera tollunt  
Stirpis opes generisq; nitor præclaraq; Diuūm  
Munera, sic vestros quoq; tollunt carmina honores  
Inclyte dux ô I A N E, tuos quia stemma per ausus  
Magne feres, maiusq; dabis clarescere in æuum  
Imperio, & claro generis splendore per æuum,  
Cui GVNTERROIDVM noua fama vigente per  
Quæ tenet à dextra laudem, ingenioq; decorem Cennem  
Fert primæ documenta suæ virtutis, ubi ingens  
Militat insigni iuuenisq; vigorq; palæstra.

Clara Ducum sint clara manus præludia, & ausus  
Adiuuet ingentes diuūm manus incita ad ausus  
Præsignes, quibus alta Dei stant nomina, & ausus;  
Quod mea vota volunt, mea carmina, & arma palæstræ  
Felici modo sorte ferunt, ubi clara per armos  
Arma sonant, artesq; insignibus artibus assunt,  
Quæ genus excelsum, & generis decora omnia vincunt.



DE VERIS PRINCI-  
PIIS ARTIS DIMITI-  
CATORIÆ.

**B**alastricam siue dimicatoriam artē omnium luctationum, quæ ad corporis exercitationem suscepta sunt, præstantissimam, in usu minus frequenti esse, insuperq; in contemptum apud Germania populos, qui quidem fortitudinis commendationem adepti fuerunt, venisse, mirum certe non est: cum pleriq; huius magistri tam male hodie, propter dissolutam viuendi rationem & ignavia& suspitionem, audiant: Ut Galeno altero opus esset, qui contra vitiosam Gymnasticam siue athleticam calamum stringeret. Reipsa enim Heraclidem pugilem quidam referunt, quem immensè propè cibi, potusq; capacem fuisse ferunt, non enim reperiebatur par ipsi in potando, alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, ad cœnam alios, postremos ad commensationem, recentibus primis reponebantur secundi, omnesq;

B præsta-

præstabat unus. Ac licet multa veterum Athle-  
tarum proferri possint eximia continentia exem-  
pla, tamen eorum plurimi contrarium obseruant,  
idque laudi sibi ducunt, si intemperanter utantur  
poni, Et se in omni voluptatum cœno volutent.  
In palastra plures sunt Chironomi Et Acrochiri-  
sta, hoc est, qui motus gestusque informant, ac um-  
bratili quadam luctationis specie corpus alque ar-  
tem suam iactitare student, ad ostentationem fo-  
lum comparati, nullam certam methodum in in-  
stituendo obseruantes, imò ipsi certis regulis non  
sunt instructi neque astricti, sed quando manus  
conserenda sunt, artis hoc certum experimentum  
esse volunt, si furiosorum more clausis oculis,  
quemadmodum de Andabatis memoria prodi-  
tum est, sine artis ac mentis ratione plagas du-  
cant: Et quoniam plerumque armis non incidenti-  
bus, sed rudibus in spectaculis publicis pugnetur,  
tantum antagonistæ caput petunt, hancque partem  
corporis solummodo, cœteris neglectis, ipsimet  
protegunt, Et brachiis, licet non sine periculo in-  
terdum, ceu vallo muniunt, nihil interim solliciti,

sive

sive punctum sive casim reliqua eorum membra  
ab antimacho, hoc est, ab eo qui ex aduerso lu-  
ctatur, feriantur, ut minimum usum talis ipso-  
rum ars in vero certamine habere videatur.  
Hinc fit ut plurimis spectatoribus persuasum sit,  
haud ullam utilitatem afferre huius artis periti-  
am, & quod de eiusmodi gladiatoribus verum  
est, ipsi arti male ascribant: fundamento desti-  
tutam iudicent, agilitatem corporis tantummodo  
esse, & robur principalem causam putent. In  
quo tamen non parum à scopo aberrant. Habet  
etenim hæc ars non minus quam aliae, certissima  
& perfectissima (licet paucissimi hæc teneant)  
fundamenta, de quibus aliquid in medium affer-  
re decreui, breuiter quidem & eo ordine, ut anti-  
quitates Grecas & Romanas, inuentores etiam  
Palastricæ non penitus silentio preteream.

Gymnici ludi à Lycaone in Arcadia primùm  
inuenti sunt, ut autor est Plinius lib: 7 cap. 56.

In Græcia autem primùm certamina insti-  
tuta sunt, & celebratissima numerantur, Olym-  
pia, Pythia, Nemea, Isthmia. Hercules enim

B 2 Augea,

Augea, Elidis rege superato, repurgatoq; eius stabulo, in campus Olympiae vicinis sacrum certamen instituit, quod quarto quoq; anno (vel ut Lycophrōtis interpres asserit quinquagesimo mense) celebraretur, idq; eo consilio, ut in illo Gracia Iuuentus sese Pentathlo sive quinquertio exerceret, cursu scilicet, saltu, disco, cestibus, & palæstra, iisq; veluti meditationibus vero certamini praluderet. Huic quinto die finis imponebatur, & victor (qui olympionices vocabatur) oleastro, qui ut Aristoteli placet, philostephanos dicitur, coronabatur, adeoq; magni ea gloria estimabatur, ut plerosq; constet huiusmodi nuncio de filiorum victoria accepto, præ læticia in fata concessisse: tantum enim victori habebatur honoris, ut non per portas urbis, sed per ruinas murorum in curru sublimis in patriam reueheretur. Inde Cicero pro L. Flacc: Acinas, inquit, pugil Olympionices, quod propè magis est, & glorioius quam Roma triumphasse.

Pythia Ludi Apollinares in Apollinis honorem instituti, ob cædem Pythonis serpentis nocen-

nocentissimi, aut ut Strabo lib: 9 scribit, hominis  
sceleratissimi, cognomento Draconis. Ex hoc  
certamine victor coronam lauream cum malis  
reportabat. Nam quod Ouidius Pythiorum  
victori Aesculeam coronam videtur tribuere, lib:  
1 Metamor: cum ait:

Neue operis famam posset delere vetustas,  
Instituit sacros celebri certamine ludos,  
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.  
Hic iuuenum quicunq; manu, pedibusue, rotaue  
Vicerat, Aesculeæ capiebat frondis honorem.

Id ex animi sententia non scripsisse illum,  
sed ut commodiorem ad fabulam Daphnes face-  
ret transitum, constat ex eo quod subdit: Non-  
dum Laurus erat. Nemea, quorum victores  
apiò coronabantur, ita appellata à Nemea sylua  
Peloponensi, in qua fieri consueuerunt in honorem  
Herculis, qui leonem in ea sylua fertur occidisse,  
seu multò magis in honorem Archemori pueri,  
Lycurgi filii in ea sylua à serpente occisi. Isth-  
mia, in quibus qui viciisset coronam ex pinu re-  
portabat, Sic dicta ab Isthmo Peloponensi in cu-  
ius fauibus celebrabantur non procul à templo Ne-

ptuni, in cuius honorem etiam instituta sunt à Theseo, ut Plutarcho videtur. Sic enim de institutione horum ludorum in vita Thesei scribit: Theseus primus Neptuno certamen instituit, gloriariq; est solitus, ob Herculem Olympia foui, ob se vero Isthmia Neptuno celebrari. Quod enim ibidem in Melicerta honorē institutum est, noctu agebatur initiandi magis, quam spectaculi speciem proferens. Velpotius in honorem Palæmonis (quem Latini Portunum vocant, unde & Portunalia dicebantur) ut ex Archia Poëta nobili Epigrammate græco, de his quatuor certaminibus, quod etiam hodie circumfertur, colligitur.

Versus hi sunt:

Τέωσαρες ἐνσὶν ἀγνῶνες ἐπ ἔλλαδα τέωσαρες ἴγοι,  
οἱ δύο μὴν θητῶρ, οἱ δύο δὲ θαυάτωρ.  
Ζῦνος. λητόιμα, παλαιμονος, ἀρχεμόροιο,  
ἄθλα δε τῶρ κότινδε, μῆλα, σέλινα, πίτυε.

Quatuor Argiuis certamina sacra feruntur,  
Bina hominum natis, binaq; cælitibus.

Phæbo, ipsiq; Ioui, Palæmoni &, Archemoroq;,  
Poma, Oleastræ, Apium, præmia, pinus erant.

Hoc loco etiam notatu dignum est quod tradit Lucianus Athletarum & pancratiastarum

rum sortitionem describens, in argenteam (inquit) calpin, id est, urnam coniiciebantur minulae sortes, faba non ampliores. Eo semper ordine seruato, ut binis eadem inscriberetur elementi nota: pro athletarum numero sortibus item auctioribus. Quum impenderet certandi tempus, prodibant ex athletis singuli sortem educturi, nec inspectandi productam ius erat, quando id prohibebat assistens mastigophorus. Peracto autem orbe, ambiens Alitarchus inspectabat sortes, atq; ita dispensabat, ut qui alpha esset sortitus, cum eo componeretur qui eandem eduxisset literam: atq; ita deinceps homogrammi certaturi prodibant. Fieri vero sic moris erat, si certaturi pares fuissent. Quod si quinq; aut septem, coniiciebatur in urnam solitaria litera, que antigraphon siue antigramma non haberet, Qui verò eam eduxisset, residuebat expectans quandiu certarent alii, congressurus mox cum saigitatis vigens ipse atq; integer adhuc viribus. Quod sane vel felicissimum censebatur. Dicebatur vero hic Ephedrus, id est, ἐφεδρος qua vox apud Sophoclem in Aiace masti-

*mastigophoro, indicat nouissimum. Cœl. lib: 22.  
cap. 18. antiqu. lect.*

In hisce vero certaminibus primarium locum sine omni dubio obtinuit palaestra, cuius tres principia species recensentur. Prima πάλη lucta, unde παλαισικός luctator, qui aduersarium premere & retinere valet, graci à concussione, Latini ita dixerunt à motu, unde etiam luxare. Creditur inuenta esse à PHORBANTE pædorib[us] Thesei Athenis, quod tamen aliqui ipsi potius tribuunt Theseo. Haud autem uno modo luctabatur. Aliquando amplexum mutuo ab ilius & humeris, interdum consertis brachiis manu apprehensis, Item impulsu tantum certabatur & tractu, & pressione, & supplantatione, ut non caderetur concertator, sed prosterneretur. Secunda, Pugilatus: Pugil autem πύγτης græcè dicitur, qui pugno plagas impingere potest & solo percussu aduersarium prosternere. Primum certamen olim pugnis nudis factum est, itaq[ue] πυγμæ græcis, Latinis pugna, inde etiam pugnus, quoniam manus quæ erat antea passa, & μάνης, unde nomen habet,

babet, clausis digitis effecta est πύκτη densa. Pugnis deinde addita lora ad munimentum, propterea quod nudi cum ferirent, sàpè plus damni acciperent, quàm facerent. Ea lora graco vocabulo cæstus dicti, brevia initio, mox ne excussa exuerentur in ictibus, tum cubito tum humero alligabantur. Postremò ferrum plumbumq; assutum est saeuissimo spectaculo. Cerebrum enim ac guttur facillimè elidebant, idcirco aurium munimenta induebant, ἀμφότερας. Tota ars, ictum vitare non fuga, sed corporis inclinationibus & flexionibus. Tum autem ictum ictu excipere si sit fortior. Postremò ne inferre ictum frustra, concidebant enim plumbi pondere præcipites acti, si impensis niterentur verberare. Tertia species: Pancratium, ex lucta & pugilatu compositum, Pancratiastes enim is dicitur, qui corporis totius conatu, omniq; virium contentione insurgit in pugnam, eapropter πάμπλαχος quoq; vocatur, ad pugnam vocalitus, Gellio teste, proiectis altè brachiis consistit, caputq; & os suum manibus oppositis, quasi vallo præmunit: congressus inde par-

C iim

tim apprehendendo luctari, partim feriendo pu-  
gilem videtur agere. Theseus hoc genus credi-  
tur reperisse, quando in Creta absq; gladio Mi-  
notaureum aggressus est. (Cal.lib. 13. antiq. lect. Pa-  
laestricen quoq; totam inuenit, & ab eo profecta  
Palaestritarū disciplina, ab eius rei magistris cele-  
brari cœpia, cùm antea sola corporis magnitudi-  
ne & robore certaretur, Hac ipsa etiam Cercio-  
nem, qui omnes alios secum pugnantes occidit,  
superauit, ut scribit Pausan. in Att. Quanquam  
antiquius hoc inuentum (græcorum tamen) esse  
videatur, quo etiam ab Hercule Antæus supera-  
tus fuerit, ut constat ex Epigrammate Dyothi-  
mi latine ab Andrea Alciato Jurisconsulto do-  
ctissimo sic redditum:

Conseruere manus validæ in certamine luctæ,  
Neptuni soboles, stirpsq; superba Iouis.  
Præmia non illis lucenti ex ære lebetes,  
Dictæ sed alterutri vitaue morsue fuit.  
Occidit Antæus, decuit victoria Graium,  
Græcia enim Luctæ, non Lybia autor erat.  
In Pancratio inter cæteros clarus memora-  
tur

tur fuisse Sostratus Sycionius cognomento Acro-  
chersites, qui hoc Stratagemate fertur usus esse,  
arreptis extremis aduersarii manibus eas frange-  
bat, nec prius dimittebat, quam sensisset eum de-  
ficere. In lucta Leontiscus palestrita Siciliensis,  
haud alio more quam Sostratus in Pancratio ad-  
uersarios percellebat. Neq; enim colluctatione  
sternebat, sed victoriam summis digitis colliden-  
dis extorquebat. Hunc tradit Suid. institutum esse  
apud Clearchum discipulum Euchiri Corintibii  
et Chilonis Paterensis.

Apud Romanos deinde maximo in pretio  
et sumnum ob studium celeberrimam fuisse  
hanc artem ex eo certissimum est, quod non so-  
lum gladiatores suos (qui venali sanguine in are-  
na decertarent, quos magistri et institutores,  
quibus Lanistarum nomen erat, ex seruorum  
delectu ac libertorum comparabant, quorum ge-  
nera quatuor, Retiarii, Secutores, Myrmillones,  
Hoplomachi, qui ea potissimum causa in ludis cō-  
mitti solebant, ut hoc spectaculo assuefacti tyrones,

C 2      cruen-

cruentum hostem non expauescerent) habuerunt,  
sed in hoc munere etiam libera conditionis homi-  
nes nomen dederunt, ut specimen virtutis ani-  
mo insitum ostenderent. Imò postea, hac ipsa in-  
structi multi inuenti sunt Imperatores, illustres  
viri atq; duces, qui monomachiam exercere so-  
liti, & aduersus quemlibet Athletam robore  
contendere ausi sint, qualem Neronem, Traia-  
num, Antonium & Seuerum accepimus, quos  
præterquam quod hac sola arte sanitatem conser-  
uasse, fortissimosq; euasisse traditum est, ob hanc  
quoq; causam eos fecisse veritati consentaneum  
videtur, ut suo exemplo reliquos ad eiusmodi ex-  
ercitia inuitarent. Veteres quoq; Germa-  
nos, qui semper antiqua etiam virtute & inuicto  
animi robore claruerunt, non in minori existima-  
tione eam habuisse, tam certum est, ut probatio-  
ne nulla indigeat. Scribit Saxo lib: 6. Hamam  
apud Saxones gymniciis palmis clarissimum habi-  
tum esse, adeo ut magno militari pompa tripudio  
ductus sit ad conflictum, & Starcathero inter  
Danos fortissimo, sed capulari oppositus. Quum

in

inconflictum ambo descendissent, astarentq; hinc  
E<sup>t</sup> inde numerosi spectatores, ut suo victori gra-  
tularentur, Starcatherus primo quidem insuliu  
propter inualidas vires penè resupinatus est, ve-  
rūm ubi tanquam ignominiam à se repellens re-  
sumpsit vires, E<sup>t</sup> se sibi restituit, medium Hama  
corpus dissecuit.

Nunc autem ad nostra tempora veniam.  
Et quia exterarum gentium nobilissimi pugiles  
mihi prorsus sunt ignoti, ac tantum aliquorum  
discipulos vidi E<sup>t</sup> cognoui: Judicium de iis fa-  
cere nolo. Quò ad Germaniam verò: Due fa-  
ciones extiterunt: una ex parte ut plurimum pel-  
liones, E<sup>t</sup> alii opifices cum his confæderati, quo-  
rum etiam aliqui magistri in arte, præsertim gla-  
dium tractandi, haberi volunt, qui ex speciali  
Romanorum Imperatorum E<sup>t</sup> Regum Priuile-  
gio, in nundinis Francofurdiensibus, quos in arte  
excellere putant, E<sup>t</sup> in eorum sectam qui iurare  
volunt, eodem titulo insignire solent. Alteri bis  
oppositi plerūq; studiosi bonarum disciplinarum  
E<sup>t</sup> aliarum artium minus sordidiarum periti,

qui certè illis arte præstant, quamuis rarissimi etiam inter hos reperiantur, qui certum fundamen-  
tum habeant, & discipulos suos rationibus cer-  
tis instituere possint. Repertus est ante annos ali-  
quot Argentinensis quidam Joachimus Meier,  
qui conatus est firmas regulas demonstrare, &  
volumen etiam magnum hac ipsa de arte edidit  
germanico fdiomate, & licet aliquid intellexisse  
videatur, usum tamen istorum fundamento-  
rum non monstrauit. De veris igitur prin-  
cipiis aliquid commemorare constitui, quod eo  
melius & facilius, ut spero, facere potero, quoni-  
am & librum vetustissimum compositum à Mo-  
nachis nobilibus (sicuti enim multi clarissimi  
Imperatores & duces belli vita ferè peracta,  
sese in monasteria abdere solent, ubi in otio sa-  
pius recordantur præliorum, quibus præfuerunt  
& quando victi sunt, causasq; quomodo præ-  
uenire potuerint considerant, posteritati deinde  
scriptis consulere possunt: ita & nobiles quondam,  
qui plerunq; erant fortes & peritissimi tam in pe-  
destri, quam equestri pugna, tandem veterani &  
emeri-

emeriti vitam monasticam elegerunt, propter consuetum autem laborem in otio vivere non posuerunt, sed ad valetudinem tuendam certis horis hac exercitia habuerunt, tandem certum fundatum inuenisse eos mirum non est) describendum & depingendū nactus sum, à Iohanne Heruuarto Herbipolensi, Zonario, & gladiatore celebrato, (cum quo magna familiaritas mihi intercessit) per id tempus Principis Illustrissimi Friderici V Wilhelmi ducis Saxoniae Lanista, Qui illum in monasterio Franconiae, cum militem ageret sub Marchione Alberto se reperisse, mihi retulit. Et quia informatore ad hanc artem usus sum fideliissimo Balibasaro Cramonio Polnauiensi Pomerenio, Medicinae studioso, & discipulo huius Heruuarti, non minus in hac ipsa scientia celebri, praeferim si armis incidentibus pugna ineunda sit, tā certa enim & indubitate artis sue habet principia, ut neminem quondam reformidasset. Ante semestre autem à pessimis nebulonibus sceleratissime vulneratus, sinistrumq; brachium mutilum ipsi redditum, dextra adhuc est practicus. In

armo-

armorum autem generibus quibus tractandis  
duarum manuum ministerio opus est, bonus theo-  
ricus, & demonstratione satisfacere discipulis  
potest. His ambobus vere gymnastarum com-  
petit definitio à Rauisio descripta, cum sic ait:  
Lanistæ & gladiatores dicuntur, qui veram non  
vmbriatilem digladiandi artem profitentur: quiq;  
numeros omnes impetendi, cædendi, inferendiq;  
& vitandi vulnera, atq; etiam ubi punctini cæ-  
simq; feriendum sit, discipulos docent, ut si quan-  
do in pugnani prodeundum sit, turgentur se melius  
& inimicos inuadant cautijs. Tām certò enim  
eorum ars nilitur fundamento, ut recessione &  
corporis declinazione discipuli eorum, modo re-  
ctè edoc̄ti fuerint, & diligentia sua practici euad-  
ant, ad vitandos ictus haud opus habeant (cui-  
us rei non rarum specimen ostendit Doctissimus  
D. Magister & strenuus dimicator Johan-  
nes VVilhelmus Neunouel Fenensis, eius ego  
quidem comes & tanquam alter Pyrrithous, ac  
quasi amulus studiorum fui, merito autem illi  
palmam do, vix enim simulachrum aliquod in-  
signis

signis ipsius fortitudinis referre possum. A quo  
vnam Theseo in hoc meo scripto adiuuari po-  
tuisse) Quamuis modus ille exteris nationibus  
usitatissimus, minimè improbandus, sed suo loco  
summa laude digna sit illa agilitas. Ut igitur ad  
rem ipsam accedam, Definitionem tantummo-  
do Palæstricæ sive potius dimicatoriæ artis tradam,  
in cuius tamen explicatione non pauca de funda-  
mentis attingam. Sit itaq; hæc descrip:io.

DIMICATIO est ingenua, virilis & nobilis.  
sima ars Gymnastica, Ex principijs naturæ, certissi-  
mis fundamentis, perfectissimisq; figuris demon-  
strata, quæ & gladiatori, & militi, cuicunq; deniq;,  
ad se, in Pancratio, prælijs & monomachijs, qui-  
buslibet armis manuarijs, nec non colluctatione,  
fortiter defendendum, & de Antagonista, vel ho-  
ste, aut aduersario, victoriam reportandam pro-  
dest. Exercenda sanitatis conseruandæ, & robu-  
sti corporis habitus acquirendi causa, gloriæ quoq;  
ac virtutis gratia.

Dimicationem appello. Plerunq; enim di-  
mico accipiatur pro pugno, quod propriè sit re, &  
D quia

quia Monachi probatissimi huius artis scriptores ita nominant, qui eam sic definiunt:  
Dimicatio est diuisarum plagarum ordinatio.  
Ponogenus, quod sit ars, constat etenim ex collectione preceptorum, iisq; arctissimis concluditur.  
Dico Ingenuam, quia inter liberales artes, quae solum ingenii, non manuum ministerio peraguntur, non potest numerari, cum ad hanc corporis maior quam animi habitus requiratur: quia tamen firmissimis principiis, regulis perfectissimis & ingeniosissimis nascitur, meritò hunc titulum sortitur, nec inter mechanicas siue illiberales recensetur, nam & Jureconsultus l. 4 ff de his qui notant. infam, inquit, quod Julius & Cassius responderunt: Athletas omnino artem ludicram non facere. Item: Virilem, quod strenuos viros maximè deceat, & fortitudinem non parum in iis augeat. Addo: Nobilissima Gymnastica, Platonem secutus, qui tanti eam fecit, ut cæteris exercitationum generibus, pro offensione simul & defensione proposuerit, nec ulla exercitatione inferiorem hanc esse, aut minus labo-

laboriosam velit. Sequitur, Ex principijs naturæ. Oculari videlicet demonstratione, qua tam certa est, ut nemo ~~κοινας ενοιας~~ habens, siue ratione naturali prædictus negare possit, præseritum cum omnibus intuitiva noticia sit optima definitio, ac re ipsa comprobari et verberibus demonstrari queat, si verbis fides non habeatur. Certissimis fundamentis, Ex partitione videlicet tum corporis humanum armorum usitatorum, iuxta versiculum:

Omnis pancratio certans distinguere recta

Corpus et arma simul diuisione sciat.

Wer recht wil fechten vnd Ringen/

Der teil den Man/vnd auch die Klingen/

Wird er mit ringn / vnd fechtn bestan/

So ers vorm Man wol brauchen kan.

Ad corpus quod attinet diuiditur hoc in membra debiliora et firmiora. In partes item quæ sunt vel fiunt lesioni obnoxia propinquas et remotas. Ubi etiam docetur, quomodo se possit quisque intendere ad firmitatem, de quo Cicero aliquid 2 Tuscul: Exclamat, inquit, quam

D 3 maximè

Teilung  
des Leibes/  
In die  
Stercken  
vnd Sch-  
wechen/  
In nechste  
vnd weite  
ste blössen.

maximè possunt, cum exercentur Athletæ. Pugiles vero etiam cum feriunt aduersarium, in iactandis cæstibus ingemiscunt, non quod doleant, animoue succumbant, sed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitq; plaga vehementior.

Armorum autem usitatorum genera varia sunt, quorum præcipua nomina, ut maximè potero, propria recensebo. Primum in usu est  
Dæseten, Schel. Düssaken/ quod genus vocare licebit, Acinaces siue Harpen, forma etenim conuenit: præterea à Thussagetiis populis in Scythia ultra Sauromatas, qui sicuti Persæ tam breuibus falcatis ensibus usi sunt, germanicum nomen videtur esse translatum. Quo ad ipsum exercitium, siue effectus consideretur siue ipse certandi modus, non multò dissimile videtur à cæstuum pugna, si modo cæstus fuit genus clavæ, ut volunt aliqui, Aliter autem describit & depictos proponit Doctissimus Hieronymus Mercurialis lib: 2 de arte gymnastica cap: 9.

Secundo:

Secundo: Gladius, machæra, Xyphoma-  
chæra, Romphæa sive ensis. Repertores Curetae.

Schlacht-  
schwerdt/  
Langsch-  
werdt.

Tertio: Hasta quam inuenierunt Lacede-  
monii qui boni potius gladiatores, quam fortes  
milites dici maluerunt.

Beiden-  
feuster.  
Langer  
spies.

Quarto: Hastile, aut Venabulum, cuius in-  
uentor Piseus.

Halbst. n =  
gen.  
Feder oder  
Ruebel  
Spies /

Quinto: Bipennis, quiris, securis Romana Hellpart:  
vel Amazonia. Penthesilea enim Amazo-  
num regina inuentrix esse perhibetur.

Streit-  
art.  
Fausthas-  
mer.  
Reithas-  
mer.

Sexto: Cestra, quod genus non minimum  
etiam usum habet in equestri pugna.

Septimo: Pugio, sica, clunaculum, Parazo-  
nium.

Dolchen/  
Stos des-  
gen / Ste-  
cher.

Octavo: Framea Rappier.

Nono: Framea chirotheca ferrea ex lorica  
addita sinistram, quod genus Italis valde est com-  
mune.

Rappier  
vnd Ban-  
herhentz-  
schuch.

Decimo: Framea adiuncto pallio, apud Hi-  
spanos fieri præceteris esse usitata.

Rappier  
vnd man-  
tel.

Undecimo: Framea dextra, pugio sinistra,

Rappier  
vnd Dolch.

D 3 apud

apud Gallos & omnes ferè exteris nationes frequentissimum genus armorum.

Rappier  
vnd Bu-  
etlier /  
Schilder  
Tarrasch.  
en.

Duodecimo: Framea coniuncta pelta, parma, clypeo, (quem repererunt PROETVS & ACRISIVS inter se belligantes, siue Chalcus Athamantis filius) vel Scuto (quod Herodotus lib: 4 putat ab Aegyptiis græcis esse traditum) Apud Scotos hodie & Anglos in usu: In hoc genere nouum aliquid inuenit Pyrracus Philosophus Mitylenæus, unus ex sapientibus tempore Cræsi regis. Certantibus enim Atheniensibus atq; Mitileneis, ipse aduersus Phrinonem Athenensem ducem dimicaturus propter finium controversias, singulari illum certamine interfecit (ex quo constat non caligatos tantummodo in monomachiam prodisse & hac in arte præstantes fuisse) Rete enim occulte sub Scuto attato impedituit aduersarium & implicuit, unde etiam Retiariorum nomen, & certaminis illius primum initium profectum existimatur. Memini quoq; præstantem illum pugilem Johannem Herbarium aliquando de eiusmodi rete sub scuto ha-

to habendo, ad innoluendum aduersarum apio,  
mentionem fecisse.

Decimotertio & ultimo. Duo gladii, Mu-  
crones, siue Framea tam in sinistra quam in dex-  
tra, quod summum armorum genus est & pra-  
stantissimum.

Quod ad pugionem & Acinacen attinet,  
propter minus iustum longitudinem diuisio ar-  
morum nullum locum habet, sed ex partitione  
corporis tantum dicitur demonstratio, & in his  
plerumq; res tendit ad luctam & artem deiecto-  
riam, ubi Embola, Parembola, Paratheses &  
Systases requiruntur, item membrorum distor-  
siones circumnexionesq; : De quibus Strata-  
gematibus nullius vestigia secutus edidit librum  
elegantissimum (licet rationes fundamentales fi-  
guris non semper sint additæ, sed plurimis in lo-  
cis omisse) sub nomine & Patrocinio Illustri-  
ssimi Ducis Johannis Electoris Saxoniae, nobi-  
lissimus Fabianus ab Auuersuvaldi, Anno 1539.  
In cæteris tam armorum distinctio, quam corpo-  
ris Sectio maximum usum obtinet.

Diu-

zwey  
Kappier  
zu gleich.

Ringen  
und werfe  
feit.

Teilung  
der Kling/  
In ganz  
vnd hal-  
be Sch-  
neide /  
In Sterck  
vnd Sch.  
wech /  
In mittel  
der Sterck  
vnd mit-  
tel der  
Schwech.

Diuiduntur autem arma primo: in manu-  
brium sive capulum, cuspidem & veru, quadrur-  
sum in acies duas diuersas, & in partes duas pre-  
cipuas firmam & debilem, inter quas medium  
veru est. Quæ partes iterum subdistinguuntur  
suis mediis. Ex quo sequitur posuisse tribus me-  
diis, necessariò ponи quatuor extrema. Ex his  
autem solidissimum fundamentum deducitur, &  
totus fere nucleus artis in hoc consistit, Non mi-  
nimum etiam usum habet versiculus:

Extremis vitium, medium tenuere beati.  
Additur postea in definitione, Perfectissimis figu-  
ris demonstrata. Quod intelligi debet de circulo  
præfijo. Nam ex circumferentia ducitur hac  
demonstratio, Quod sicut in Sciomachia cuspis  
non debet euagari extra hanc, ita in hoploma-  
chia spatio corporis aduersarii semper sit inten-  
tus.

Econtra vero ex centro, Quod sicuti cuspis  
intra circulum & corpus animachi manere, ita  
in proprio corpore manus tanquam regimen reti-  
neri debet, alias partes aliqua fiunt obnoxiae lesio-  
ni,

ni, consequenter etiam quoniam centrum est & manet quasi immobile, omnesq; regit ictus, alia quoq; ex hoc punto sequuntur demonstrationes, quas describere non est huius instituti. Ex diametris docentur plaga vehementiores, quas etiam monachi simul protectiones, sive ut isti vocant, custodias (quibus generaliter omnes dimicatores, imò omnes homines tenentes gladium in manibus etiam ignorantibus artem dimicatoriam, necessariò utantur) esse volunt: De quibus quoq; hos composuerunt versiculos:

Trichham  
zu dem  
Mann  
los.

Septem custodiæ sunt: sub brachio incipiendæ,  
Dextraliq; humero datur altera, terna sinistre,  
Da capiti quartam, dextro da latere quintam,  
Pectore da sextam, postremaq; sit tibi Langort.  
Hæ septem partes ducuntur per generales  
Tres quæ præcedunt, reliquæ tantum fugientes.

Punctiones item & plaga simul ex iisdem lineis diametalibus demonstrantur.

Stich vnd  
Haw auff  
einander.

Ex Semidiametris à circumferentia usq; ad centrum discuntur primo: Ictus conducibiliores, tutiores, & artificiosiores, qui propria acie du-

Halbe  
Haw vor  
dem Man  
an der  
Ring.

E cuntur,

cuntur, & hac acies diuersitate discernuntur,  
ubi mirabiles pleriq; sunt pugiles, præserim, quo  
ad Frameam, una enim tantummodo acie vnu-  
tur, cùm tamen etiam altera, certè non **DICIS**

<sup>Stich mit blößem Stich mit riores, inferiores, & media ab viroq; latere du-  
versatzung.</sup> <sup>Gewundener Stich.</sup> causa sit fabrefacta. Secundo : punctiones supe-  
cenda, duplii modo: sine protectione & cum  
protectione. Ingeniosissima autem punctiones  
demonstrantur ex forma speciali, ideo extra  
circulum posita, ne hunc inturbet, alias enim ex  
semidiametris etiam inter se doceri possunt.

<sup>Hansper-</sup>  
<sup>gen/</sup>

<sup>Nachstich/</sup> <sup>Tischhaw.</sup> Ex Triangulo demonstrantur protectiones  
omnium plagarum sive ictuum, quas reuerbera-  
tionibus fieri necesse est, Nec non punctiones &  
ictus sequentes vitationes plagarum.

<sup>Stichspe-  
ren.</sup>

Ex Hemicyclo: Auersiones punctionum,  
sive fixurarum, ut vocant Monachi nostri.

Duobus coniunctis armorum generibus dicitur  
demonstratio protectionum & auersionum, ex  
ambobus Hemicyclis in circulo distinctis, & ali-  
qua etiam ex parte ex Triangulo. Circuli ini-  
mi

mi paruis lineis ducti, sicuti etiam Hemicycli duo, qui coniuncti integrum constituunt circum, indicant tria media, de quibus dictum est in divisione armorum.

Quae deinceps ponuntur, ad usum & finem pertinent, Quod enim huiuscmodi concertationes, in quibus rudia tela usurpantur, maximam & ad belli peritiam, & ad alias necessarias defensiones in periculis viilitatem praestent, nemo, qui hisce temporibus eorum professores spectauerit, negabit. Imò Cicero etiam de Orat: Ludicram artem armorum & militi & gladiatori prodesse affirmat. In duellis autem quondam concessis summoperè monoxys adiunisse, ex eo manifestum est. Quod Imperator Fridericus II monomachiam, que vulgariter duellum dicitur, paucis quibusdam casibus exceptis locum amplius habere noluit, eo potissimum motus, quia vix inquit, aut nunquam duo pugiles inueniri potuerunt sic equales, ut vel in totum alter alteri non sit fortior, vel in aliqua parte sui vigore maiori & potiori virtute, vel saltem iugenii

alter alterum non excedat, Insuper etiam ex hoc:  
Quod cum Longobardorum more hac essent in  
frequenti usu, multi sub Justicie clypeo perièrē.  
Quanquam igitur hodie apud nos Christianos  
haud admittantur duella, tamen maximum u-  
sum præbet ubi exoriuntur rixæ, siquidem nemo  
diutius quietus esse potest, quām vicinus eius  
velit, ut est in vernaculo & vulgo trito prouer-  
bio. Item in prouocationibus, ubi ad defensio-  
nem fama, honoris, & existimationis necessariò  
interdum ad arma deueniendum est. In om-  
nem deniq; euentum hac ars prodest, si modo  
quis ea non abutatur, sed ad legitimam duntaxat  
defensionem adhibeat. Vbi tamen nemo cogitur  
expectare primum ictum. l. 3 s 2 Vers. sufficit  
ff de vi & vi armat. l. 2. ubi Ang. l. 3. l. 4. l. 18.  
qui C. de siccar. fas. post Bald. in l. 3. num. II.  
12. 13. ff de Iust. & Jur. melius enim est præue-  
nire quām præueniri, & satius est intacta iura  
seruare, quām post vulneratam causam reme-  
dium querere. l. fin. C. in quib. cau. in int. rest.  
non est neces. Neq; fugere tenetur quisquam &  
propter.

propter periculum, & quia est ignominiosum, in  
primis si sit nobilis in quem fit insultus. Bart. l. r.  
num. 8 cum seqq: & Bald. num. 12. C. Vnde vi.  
& in l. ut vim ubi Jas. num. 38 dicit esse com-  
munem ff de Iust. & Iur. Tiraq: de nobilit.  
cap. 20 num. 64. VV esenb: fC torum totius Ger-  
maniae facile princeps, ac preceptor noster incom-  
parabilis, consil. 19. I. part. num. 17.

*Dicitur armis manuariis quorum genera va-  
ria superius recensui. Nec non colluctatione.* Einlauf-  
fen.  
*Quando enim alter alteri non vult cedere,  
sed mutuo inter se insurgunt & propius concur-  
runt, nullus pene usus est armorum praesertim  
longiorum, Sed lucta incipit, ubi alter alterum co-  
natur deucere vel prosternere, & aliis multifariis  
modis ladedere & superare.*

*Postremo adduntur. Exercenda sanitatis  
conseruandæ causa. Quantam enim commodi-  
tatem afferat hoc exercitium sanitati, vel ex eo  
intelligere licet, quod valere pugilicè sine pancratii-  
cè atq; athletice, pro eo quod est prosperrima va-*

letudine vii, apud Plautum & alios usurpatur.  
Satis clarè etiam monstrat Galenus 2 de iuend.  
valet: cap. II. & 12. Gymnasticos iam armorum  
quām umbræ pugnam proposita sanitate usur-  
passe, ubi etiam ad exercenda brachia atq; crura  
sciomachiam (in qua celebratus est Glaucus  
Carystius, non minus enim in umbræ pugna ex-  
cellens, quām strenuus athleta in pugillatoria  
erat, ideoq; ei statua habitu formaq; in umbra  
pugnantis, erecta est, v: Pausanias narrat) com-  
mendat. Hoplomachiam vero à Damea inuen-  
tam multorum membrorum optimo statui confer-  
re tradit. Præterea cum Gymnastica conserua-  
tiua Medicina partium haud ignobilissima ex  
Galeni sententia, mò precipua & præstantissi-  
ma sit, quacuratiuam partem tanto excellere vi-  
detur, quanto medicamenta ipsa ab exercitatio-  
ne superantur, hac autem, vel Platone ipso teste,  
inter reliquas exercitationes faciliè principem lo-  
cum oblimeat, nemo, & ad auertendos futuros  
morbos, & ad custodiendam præsentem sanita-  
tem, & ad valetudinarios reficiendos (qua tres

partes

partes vniuersam conseruatoriam efficiunt ) in-  
credibilem utilitatem eam afferre dubitabit. Si-  
quidem hac & alia effecta huius & tolius gym-  
nasticae, uberrimè doctissimè & omnium quoq;  
primus demonstrauit clarissimus Hieronymus  
Mercurialis Medicus & Philosophus summus,  
professor Palauinus, in libris suis de arte Gym-  
nastica. Et robusti corporis habitus acquirendi.  
Plato enim in Lachete inquit: Juuenibus condu-  
cere ut armis pugnare discant, quoniam sic habi-  
tus corporis robustus acquiritur. Et Aristoteles  
lib. 8. Polit: præcipit, Adolescentes gymnasticae  
vacare debere, ut fiant exercitationes firmioresq;  
Gymnastica autem nomine Plato lib. 7. de legi-  
bus omnes exercitationes bellicas contineri do-  
cet, eamq; diuidit in saltationem & luctam.  
Gloriæ quoq; ac virtutis gratia. Quæ sunt  
verba Jurisconsulti in d. l. 4. ff de his qui no-  
tant. infam. Athletas glorie & virtutis gra-  
tia hoc facere, & ita generaliter omnes opinan-  
tur, & utile videtur, ut neq; Xystici ignominio-  
si habeantur. Qua lege gladiatores aliqui nostro  
tempore

tempore ex corpore quæstum facientes, & lucrī tantum causa in publicis ludis plagis contundi se ferentes, haud comprehenduntur. Xystici enim erant athletæ qui in ampla porticu, per hyberna tempora sub tecto exercebantur à Lanistis, ad fortitudinem & habitum bonum comparandum, quanquam nihilominus etiam in arenam descendere, & virtutis specimen edere solebant, hoc verò ob nullam pretii spem, sed gloria solius adipiscenda gratia faciebant. Quemadmodum & Hero-dianus atq; Iulius Capitolinus, Commodum imperatorem gladiatorem eximium fuisse, & in publicis theatris, spreta Imperatoria dignitate, gladiatoriis partes adimplesse scribunt.

Loco conclusionis quoniam ut Salustius scribit, Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet, ita adhuc non minima contentio est, plus ne agat in pugile robur naturale an ars, addam veteres hac ipsa de re Rithmos:

OPTIMA THEORIA.

PRAXIS MAXIMA.

ROBVR

**ROBVR CVM STATVRA  
ADIVVANS EST CAUSA.  
TIMIDE  
ABSTINE.**

Kunst ist sehr gut /  
Mehr vbung thut.

Starck vnd geradt  
Hilfft viel zur that/  
Erschrickstu gern  
Kein fechten lern.

Quare agite Generosissimis nobiles & ingenui iuuenes, in hac liberali ingenio digna & præstantissima arte vos præbete strenuos & egregios cultores, eamq[ue] ab imperitorum contemptu & iniuria vindicate, præsertim cum arma literis præponenda esse censeat Belisarius Aquiuinus Neritiorum dux, lib: de fin: certam: Epist: ad Galateum, (quamvis contrarium affirment multi summi viri & Cice: lib. i. Offic. exclamat: Cedant armata toga, concedat laurea lingua.)

Nec obstat vobis titulus in C. de gladiat. penitus tol. licet enim sublata sint iam prorsus spectacula gladiatorum. h. e. damnatorum in mu-

F nus

nus gladiatorium, tamen ludus gladiatorius non  
est sublatus, ut optime & rectissime interpretatur  
*Coriphæus nostri Juris, Iac. Cuiat. lib. obs. 13. ca. 10.*  
Ut etiam constitutiones sive articuli ab Illustriſ:  
ac Clementiſimo Principe ac Domino nostro  
Domino Auguſto Duce Saxonia Electore additi  
legibus inclyta & celeberrima huius Academia  
Uitebergensis, professionem artis & ſpectacula  
non improbant, ſed abuſum tantum prohibent.  
Itaq; haſce etiam meas obſeruationes candido &  
grato animo accipite, abunde euentus ipſe doce-  
bit, quam neceſſaria & uilis ſit huius artis co-  
gnitio. Cum enim ſine armorum praſidio nulla  
Reſpublica diu in columiſ ſtare poſſit, decet nobi-  
les praciپe & heroicos adolescentes armorum  
uſu & peritia excellere, quo patriam & Christi-  
anam Rem publicam ab impio milite vindicare,  
bonos & innocentis bellica virtute fortiſter de-  
fendere poſſint.

1000

1800  
1800  
1800



IN INSIGNEM GE-  
NERIS PROSAPIAM NOBI-  
lis & præclari Iuuenis D. Henrici à  
G V N T E R O D T..



**C**lara patrū monumenta tuis insignibus effers,  
Et quod stirpe geris, nobilis arte refers.  
Hinc micat aligerum fuga nobilis ales, & illam  
Fulgor adire vetat, terror adire vetat.  
Sub pede stemma nitet vetus, at noua stella nitorē  
Duplicat, vt radiis fulget amica suis.  
Scilicet hoc præsigne notat genus, atq; decorem  
Huic noua conciliat flore corona nouum.  
Saxonicæ quoq; fama domus, fulgorq; Tiaræ  
Quæ fidei & dextræ sunt documenta, nitent.  
Nā quod iniqua premuit fugatem poris, altius effert,  
Nobilis ex ausis fama nitorq; suis.  
Stemma dat exortus, fulgorem noctua, famam  
Stella, corona manus ausa, Tiara fidem.  
**Q**uæ tibi dum genus & claros fert dextra per ausus,  
Ex genere & factis nobile stemma refers.

*Henricus Bolschenius.*







